

D E N B I G H - S H I R E .



Is *Canovium* flumen Denbighensis ager, Anglis *Denbighshire*, Britannis *Sire Denbigh*, interius à mari recedit, & in Ortum usque ad *Devam* flu. procurrit. A Borea aliquandiu mare, inde *Flintensis* regiuncula, ab Occasu Merionithia & *Montgomeria*, ab Ortu ager *Cestrensis* & *Salopiensis* circumcingunt. Pars Occidua sterilis, media qua in vallem succumbit, foecundissima, Orientalis statim à valle naturam sibi iniquiorem, ad *Devam* vero multo æquiores sentit.

Occidua pars, nisi quod lætior sit, qua Oceano pulsatur, sparsim habitata, glabris & macilentis montibus plusquam protuberat, quorum tamen maciem in montium pronis ut alibi in *Wallia* cultorum diligentia, & solertia jam pridem vincere cœpit. Terræ enim corium latiore vomere in cespites, sive bractæas abradentes, eos artificiose congestos injecto igne in cineres redigunt, quibus in agros illos excoriatos inspersis, eorum jejunam sterilitatem ita lætificant, ut arincam, supra quam credi possit, profundant. Nec hæc glebas comburendi ratio nova est, sed admodum antiqua, ut è *Virgilio* & *Horatio* videre est. Inter hos montes locus est vulgo dictus *Cerigy Druidion*, id est, *Lapides Druidarum*, nonnullæque cernuntur columnulæ ad *T-voellas* peregrinis characteribus inscriptæ, quas *Druidum* fuisse nonnulli suspicantur, & haud multum à *Clocainog* hæc in saxo legitur Inscriptio:

A M I L L I N
T O V I S A T O C .

Ad vallem, ubi hi montes jam rarefcere incipiunt, pendenti rupi affigitur *Denbighia*, vetustiore nomine Britannis *Cled Fryn yn Ros*, id est, *Confragosus collis in Rosia*, (sic enim illam regionis partem vocant) quam *Edwardus Primus* cum aliis amplissimis latifundiis *Davidi Leolini* fratri donavit; verum cum ille statim læsæ majestatis reus capite plecteretur, eam ex *Edwardi* dono accepit *Henricus Laci* *Lincolniensis Comes*, qui non magno, sed valido mœnium circuitu, & ad Australem partem turrato castello munivit, in cujus puteo cum filius ejus unicus forte demersus fuisset, mœstissimus pater, nondum imposito fastigio, ab opere destitit. Eoque postea defuncto, oppidum cum reliqua possessione ad *Lancastrensem* familiam per superstitem ejus filiam *Aliciam* descendit, à qua tamen primum *Edwardi Secundi* liberalitate, cum illa familia jaceret, ad *Hugonem Spenser*, inde ad *R. de Mortuomari* ex pactione cum *Edwardo Tertio* devenit; ejus enim insignia ad portam primariam conspiciuntur. Sed eo morte mulctato, ad *Guil. Monteacutum Sarisburie Comitem*, statimque rursus ad *Mortuomarios*, & per eos ad *Eboracensem* familiam demum devenit. Scriptum enim est, in *Edwardi IV* ex *Eboracensi* familia invidiam magno damno à *Lancastrensis* affectum fuisse. Ex quo

1468.

tempore, sive quod situs præruptus non incolis placuerit, nec enim subvectio erat commoda, sive quod aquis indigum erat, paulatim ita demigrarunt, ut vetus hoc oppidum sit jam exhaustum, & novum longe majus sub ipsa rupe surrexerit, Quod adeo frequens est, ut templo multitudinis non capace, jam in antiqui oppidi area novum, tum Domini sui *Roberti Comitis Leicesterensis*, tum collatitia plurimorum per *Angliam* pecunia condere incœperint. *Robertum* enim illum anno *MDLXVI* *Regina Elizabetha* Baronem *Denbighie* creavit. Nec inter *Angliæ* Baronias alia est, quæ plures nobiles clientelari jure sibi devinctos habet.

Iam venimus in regionis meditullium, ubi submotis utrinque montibus, Natura, ut quid in aspera regione possit, ostenderet, vallem longe pulcherrimam substravit, ab Austro in Septentrionem *XVI* mill. pass. porrectam, v plus minus latitudinem expansam, quæ Oceano & serenanti *Boreæ* solummodo patet, alias undique montibus continetur altis, & ab Ortu quasi pin-natis, (mira enim naturæ solertia montium horum juga mœnium pinnas mentiuntur.) Inter quos editissimus est *Moil-enlli* in cujus cacumine vallum militare, & fonticulum limpidum vidimus. Vallis hæc à salubritate, fertilitate, & amœnitate vere foelix. Incolarum color est sanus, capitis firma sinceritas, inoffensum oculorum lumen, & annosa admodum senectus. Ipsa vero virentibus pratis, flaventibus arvis, creberrimis villis, & templis spectantium oculis mirum in modum arridet. *Cluida* flu. labentibus undique profluentibus auctus eam mediam ab ipso fonte intersecat, unde olim *Strad Cluid*. (*Marianus* enim *Strat-Clud-wallanorum* Regem nominat) & hodie *Diffryn Cluid*, id est, *Vallis Cluida* denominatur, in qua Britannos è *Scotia* advenas, pulsas *Anglis*, regnum constituisse prodiderunt nonnulli. Ad *Cluida* Orient. ripam in Australi vallis parte *Ruthunia*, Britannis *Ruthun*, Anglis *Ruthin* adsidet, maximum vallis emporium, viris & ædificiis frequens, celebrequè non ita pridem castro amplo, pereleganti, & familiæ quantumvis numerosæ capacissimo. Quod simul cum oppido construxit *Rogerus Grey*, cum licentiam obtinuisset à rege, *Episcopo Asaphensi*, & *Rectore Eclesiæ Lhan Ruth*, in cujus parochia locus situs. Huic pro portione navatæ in *Wallos* operæ *Edwardus Primus* totam fere vallem elargitus erat: posterisque ejus, qui titulo *Comitum Cantii* illustres, sedes erat, donec *Richardus Grey Comes Cantii*, & *Ruthunie Dominus*, quum nullam suscepisset prolem, non habita aliqua fratris *Henrici* ratione, *Henrico Septimo* hoc avitum patrimonium pretio addiderit. Ex quo tempore castrum tecto nudatum fatiscere cœpit. Nuper autem ad *Ambrosium Warwicensem Comitem*, cum opimis in valle redivitibus, ex *Reginæ Elizabethæ* munificentia spectavit.

E valle ad Ortum ascendentem excipit *Yale* regiuncula montana, & si ad regiones subjectas, & circum-

Cluida fl.

Ruthin.

Yale.

circum-